



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

III. De Sacerdotio Melchisedek.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

sa esset, hac Oratione Romanos celebrant, Ebraei  
nam eam in terris gentem, quæ sua impensa, suo  
bore ac periculo, bella gerat pro libertate aliorum  
detq; operam, ne quod toto orbe terrarum imperium  
imperium sit, & ubiq; ius, fas, lex, potentissima sit  
&c.

## IIII.

DE SACERDOTIO  
Melchisedek.

SACERDOS est persona  
Deo ordinata, ut doceat Evangelicè  
& oret pro alijs, habens promissio-  
nem quod exaudiatur à Deo, & offer-  
rat Sacrificia quæ DEVS instituit.  
Hæc definitio tria Sacerdotis officia complectitur  
quæ in hoc uulgari disticho comprehensa sunt.  
ἰδρὺς πλὴν διδασχλῶν εὐαγγελίῳ φιλάσκει  
ἰλάσκει θυσιῇ ταῖς τε ἀραῖσι θεοῦ.

Primum est docere uerbum Dei, diuinitus tra-  
ditum, & quidem Euangelion de gratuita remissio-  
ne peccatorum & ceterijs beneficijs propter Chris-  
tum promissis, ut Malach. 2. dicitur, Labia Sa-  
cerdotis custodiunt scientiam, & populus regem  
Legem ex ore eius, Quia Angelus Domini est.  
primi Patres, Adam, Abel, Enoch, Noha, Melchisedek

dek (quem Ieronymus ad Euagrium de sententia  
Ebræorum scribit fuisse Sem, filium Nohe) & po-  
stea Abraham, Isaac, Iacob, fuerunt Sacerdotes, quia  
promissiones de filio Dei acceptas conseruabant, &  
de uenturo Christo, de fide & ueris cultibus concio-  
nabantur.

Secundum officium est orare pro se & alijs, ut  
in toto Leuitico apparet. Item, Petite, semper  
orate.

Tertium est offerre sacrificium. Ad Ebræos 5.  
Omnis Pontifex constituitur, ut offerat Sacrificia.  
1. Pet. 2. Vos estis Sacerdotium Sanctum, ad offeren-  
das hostias spirituales.

Cum autem Filius Dei sit summus Sacerdos, cæ-  
teri uero omnes tantum sint Sacerdotes participa-  
tione, addendæ sunt ad superiorem descriptionem  
proprietas discernentes summum Sacerdotem à  
ceteris. Hæ in Psalm, 110. significantur. Iurauit Do-  
minus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in  
æternum secundum ordinem Melchisedek. Et postea  
splendidissimè illustrantur in Epistola ad Ebræos,  
cap. 5. 7. 8. 9. 10. & c. Sit igitur in conspectu hæc Defi-  
nitio à Philippo composita.

Summus Sacerdos, est persona im-  
mediatè à Deo ordinata, & uncta ple-  
nitudine Spiritus sancti, ut Euanges-  
lion

lion proferat ex arcano sinu æterni Patris, & intercedat pro tota Ecclesia, cum habeat promissionem, certo exaudiatur, & offerat Sacrificium, uidelet seipsum, quo sacrificio meretur toti Ecclesie remissionem peccatorum, iustitiam & uitam æternam.

Teneantur autem de singulis partibus definitionis illustrata testimonia.

I. Primum de immediata uocatione inquit Epistola ad Ebræos. Nemo sibi ipsi sumat honorem, sed uocatus à Deo, ita & Christus non seipsum glorificauit, ut fieret pontifex, sed qui dixit ad eum. Quis tuus pater meus es tu, ego hodie genui te. Sicut & alibi legitur, Tu es Sacerdos & c.

II. De Spiritu sancto dicitur Ioh. 3. Non ad me uenit, sed qui misit me, dabit ei Spiritum sanctum. Et Psalmus. Vnxit te DEVS, Deus tuus Oleo letitiæ propinquos tuos. Vnde dicitur.

O Vncte æterni leto spiramine Patris,  
Gnate DEI socios ungitio Christe tuos.

III. De Officio docendi Euangelij dicitur Ioh. 17. Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.

III. De Intercessione dicitur Rom. 8. Christus intercedit pro nobis. Ebræ. 7. Semper uiuens pro nobis interpellat pro nobis. Ebr. 5. In diebus carnis sue pro nobis.

cationes & supplicationes Deo obtulit, & exauditus est propter obedientiam. Iohan. 17. Christus ipse & intercessionem, & sui sacrificij adplicationem expresse facit, inquit. Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi uere sancti. Oro autem non pro istis tantum, sed etiam pro credituris, per uerbum eorum in me.

V. De Sacrificio Christi plurima sunt in Epistola ad Hebræos dicta. Christus semel semetipsum obtulit, una oblatione consumans in perpetuum Sanctos. Esai. 53. Ponet animam suam hostiam pro peccato. Iob. 1. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Zach. 9. In sanguine testamenti educes uinctos de lacu. Veniq; omnia patrum sacrificia, unicum hoc Christi sacrificium significarunt. Nec est alia ulla hostia pro peccatis nostris, nisi hæc unica, uidelicet mors Christi. Nec alio modo consequimur remissionem peccatorum, & uitam æternam, nisi cum fide statuimus hæc una hostia, uidelicet morte Christi Deum nobis placatum esse.

VI. De Beneficijs Sacerdotij Christi eadem dicta concionantur. Et ut hic dicitur, Melchisedek benedixit Abraham. Sic Christus Sacerdos cœlestem benedictionem, hoc est, remissionem peccatorum, iustitiam & uitam æternam Ecclesie donat.

Hactenus descriptionem Summi Sacerdotis Christi recitauimus. Nunc discrimina inter Sacerdotium

dotium Christi, cuius Typum gerit Melchisedek,  
Sacerdotium Leuiticum consideranda sunt.

PRIMUM autem & principale discrimen  
est, quod Christus est Sacerdos secundum ordinem  
Melchisedek, qui expresse BENEDICIT Abra-  
hæ: Nam Leuiticum Sacerdotium non affert benedi-  
ctionem, sed proprie est mandatum docendi  
legis, quæ arguit peccata, & proponit maledictionem,  
& nequaquam offert gratis remissionem pecca-  
torum. Deinde requirit externas ceremonias ad pa-  
dagogiam institutas, ut significant aliquid de peccato,  
morte, & de uentura hostia. Sed Sacerdotium  
secundum ordinem Melchisedek affert BENEDI-  
CTIONEM Abrahæ promissam, hoc est, gratiam  
tam remissionem peccatorum propter Christi  
abolitionem peccati & mortis, donationem Spiritus  
sancti, quo renouati nouam & æternam lucem  
uitam consequamur.

SECUNDVM discrimen est. Quod Christus  
est æternus Sacerdos, qui cum sit æternus Dei  
uitam quoque æternam abolito peccato & morte  
ecclesiæ donat, & in hac uita assiduus est Medicus  
& impellator pro nobis. Etsi enim Sacrificium  
mel factum est, ut inquit Epistola ad Hebræos, Semetipsum  
obtulit &c. Ita, Vna oblatione consecra-  
uit sanctificandos. Tamen Sacerdotium est æ-

num docendo, intercedendo & applicando sacrificium: Quia semper sedet ad dextram aeterni Patris, & seruat ministerium in Ecclesia contra Diabolum, & exuscitat & seruat Doctores, Et intercessio assidua est, & applicatio sacrificij, & efficacia, ut Rom. s. dicitur, Est ad dextram Dei, & intercedit pro nobis. Ebrae. 7. Vnde & omni tempore seruare potest accedentes per eum ad Deum, & semper uiuit ut intercedat pro nobis.

Leuiticum uero Sacerdotium non est aeternum. Nam nec pontifices perpetuo uiuunt, & hostiae Leuiticae non abolent peccatum & mortem, nec afferunt uitam aeternam, & ipsae ceremoniae Sacerdotij Leuitici exhibito Christo cessaturae erant.

Meminerimus autem cum de aeterno Christi Sacerdotio dicitur, simul haec quatuor significari.

Primum regnum Christum non fore mundanam dominationem, sed fore aeternam iusticiam & uitam, quae tamen in hac uita per Euangelion inchoanda est.

2. Cultus Dei non esse res perituras, ut cibum, potum, aut mactationem pecudum, sed iusticiam, pacem & gaudium in Spiritu sancto.

3. Ecclesiam quoque aeternam fore. Nam correlatiua mutuo se ponunt.

4. Ministerium Euangelij etiam in hac uita semper duraturum esse, etiamsi undique a Diabolo a fanaticis

X naticis

naticis spiritibus, à Tyrannicis pontificibus & oppugnetur.

TERTIVM discrimen ipsa appellatio significatur. Nam Melchisedek regem iusticie significat, hoc est, Regem iustum & alijs iusticiam predicantem. Sic Christus est Rex iustus, & predicat iusticiam, qua coram Deo iusti sumus, & est condempnatio nouæ & æternæ iusticiæ ac pacis.

Leuiticus autem Sacerdos tantum proponitur, qui regem, quæ accusat peccatum, & incutit animis horrendos pauores, & pronunciat nos iniustos esse, & meritos æternam damnationem.

QVARTVM. Cum Melchisedek fuerit Sacerdos antequam ceremonia Leuiticæ esset instituta, sequitur Christi Sacerdotium secundum ordinem Melchisedek non consistere in externis ceremonijs Leuiticis, quæ abolendæ erant.

QVINTVM. Abraham, & in lumbis Abrahæ Leui, dat decimas Melchisedeco, Ergo Sacerdos secundum ordinem Melchisedek, multo superior est Leuitico Sacerdotio. Ebr. 7.

Hactenus de discrimine Sacerdotij Christi & Leuitici dictum est, Nunc pauca de Sacerdotij dignitate Christianorum adijciam.

Summus Sacerdos CHRISTVS est. Hic quoque honorem Sacerdotij impertit, cum ipsum pontificem agnoscimus talem, ut supra descripsi. Primum tribuit nobis Euangelion, & mandatum



confitendi ac docendi pro uocatione. Secundo dat etiam ius inuocandi, sed ita ut ipso Mediatore utamur, ac addit promissionem, ut certi simus nos exaudiri. Sic enim inquit, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Tertio, Tribuit etiam ius sacrificandi, id est, recipit obedientiam nostram in afflictionibus, in confessione & alijs bonis operibus, & affirmat sibi eam placere, ac se honore affici. Sic Petrus, Vos estis Sacerdotium sanctum ad offerendas hostias spirituales, acceptas Deo per Christum. Discrimen tamen est inter sacerdotium & ministerium externum docendi & administrandi Sacramenta, quod tantum ad illos pertinet, qui sunt rite uocati.

**SACRIFICIUM** in genere est opus à Deo mandatum, quod nos DEO tribuimus tanquam honorem ipsi debitum, testificantes hunc uerè esse Deum, cui hanc obedientiam præstamus.

*Sunt autem alia Sacrificia Typica, quæ erant signa uenturi Christi. Alia non umbræ, sed res. Et hæc sunt duplicia.*

Vnum est **PROPICIATORIVM**, quod meretur alijs remissionem peccatorum, iusticiam & uitam

X 2 æter

æternam, uidelicet, Vniuersa obedientia Filij DEI in tota uita, in omnibus actionibus, doloribus, & mortibus. Nec ullum aliud fuit, est, aut erit sacrificium preciatorium præter hoc unum, uidelicet, Obedientiam filij Dei iuxta illud. Vna oblatione consummabitur sanctos. Huius sacrificij applicatio fit propria cum fide per Ministerium Euangelij & Sacramentorum ut Rom. 3. dicitur. Quem proposuit Deus pro peccatore per fidem in sanguine eius.

Alia sunt sacrificia *εὐχαριστικά*, id est opera à Deo mandata, quæ fiunt nobis prælucente fide, ut DEO in honore afficiatur, hoc est, Ut testemur hunc uerè esse Deum, quem sic colimus, nec sunt precia pro peccatis, nec merentur facienti, uel alijs, remissionem peccatorum, Sed sunt testimonies, Quis sit Deus, & testimonies obedientiæ, id est, gratiarum actiones. Talia sunt omnia opera in Sanctis, de quibus 1. Pet. 2. dicitur. Vos estis Sacerdotium sanctum, ut offeratis Deo hostias spirituales acceptas DEO per IESUM CHRISTVM. Talia enim sacrificia Melchisedek Deo obtulit. Et hoc modo Cereræ immolanti potest dici sacrificium seu oblatio. Conuenit

enim in ea hæc opera omnia, uidelicet, Concio de beneficijs Christi, seu annunciatio mortis Domini. Recitatio uerborum institutionis, distributio ac sumptio corporis & sanguinis Christi. Inuocatio petens remissionem peccatorum propter mortem filij Dei, Fides applicans, & Gratiarum actio. Etsi autem Sacerdos horum operum omnium est ἑξαρχος, Tamen nulla est ipsius propria oblatio, à populi oblatione distincta. Sed unica oblatio semel à Christo facta est, quæ singulis propria sumptione & fide applicatur.

Fuit autem hominibus honestis usitatum in illa prima antiquitate antequam assiderent mensæ, partem cibi, ut carniū, panis & uini Deo offerre. Quo ritu ostendebant se uitam & uictum Deo acceptum referre, Ideoq; ipsi gratias agere. Hæc consuetudo etiam apud Gentes mansit, ut Athenæus laudat Homerum, quod Principes Græcos describat nunquam assidere mensæ uel discedere sine libatione & precatione, & ἀνοσμορτίνα γυναικῶν inquit à Simonide uituperari ὅτι ἄδυστα ἰσθὰ κατεδίει, quod carnes deuoret, ante factum sacrificium.

Consentaneum igitur est etiam Melchisedekum proponentem fesso exercitui cibum & potum, quo reficeretur sumfisse partem panis & uini, & oblatione facta egisse DEO gratias, quod &

X 3 uicto.

uictoriam Abrahæ concessisset, & cibum  
 reliqua beneficia ipsis impertiret. Inde tamen  
 sequitur in hoc ritu meritum esse, aut applica-  
 tionem pro alijs ex opere operato fieri. Ac dignum  
 consideratione, Quod in textu non sit uerbum,  
 rendi, Sed *ἔλωκε*, id est, protulit seu proposuit.  
 Panem & Vinum, uidelicet, comitibus Abrahæ  
 fatigatis. Ideoq; historia Melchisedek magis ad  
 distributionem & sumptionem quam ad oblationem  
 panis & uini in Cœna accommodari potest.

Longior est autem disputatio de Cœna Domini,  
 quam ut hic explicari possit. Tantum igitur  
 duas commonefactiones recito.

Primum. Vt fons disputationis diligenter  
 ciatur, uidelicet, Institutio Cœnae Domini, quam  
 sola manducatione & applicatione beneficiorum  
 Christi, facienda sumptione propria, & fide, loqui  
 manifestum est. Cumq; ualeat Cœna Domini  
 quam Sacramentum, hoc est, ceremonia in qua  
 DEVS testatur se nobis sua beneficia offerre,  
 nifestum est eam soli utenti prodesse, & non  
 alijs applicari posse, sicut Baptismus non potest  
 alijs applicari.

Secundo. Cum ceremonia in alium usum trans-  
 fertur, pugnantem cum institutione, non habet  
 tionem Sacramenti. Quare cum oblatio pro uiuis  
 & mortuis, Item circumgestatio panis & uini

ritus, prorsus pugnent cum institutione manifestum est eos impios & idolatricos esse.

NOMINA PROPRIA  
XIII. CAPITIS.

Amraphel Rex Sennaar ) Hic Rex Babyloniorum  
fuit filius Nini, à quo Iustinus historiam incoat.  
Et nominatur à Beroso Zameis Ninias.

Reges Babyloniorum.

1. Nimrod, primus Rex Babyloniorum, cœpit anno  
111. post Diluuium, regnavit 56 annos.
2. Belus, filius Nimrod, 62 annis.
3. Ninus, filius Beli, cœpit Regnare anno mūdi 1906  
post diluuium 250. regnavit 52.
4. Semiramis, uxor Nini, cuius etiam Ouidius in  
suo Chronico meminit, 42 annos præfuit.
5. Zameis Ninias, qui hic uocatur Amraphel cœ-  
pit anno Mundi 2000.  
Post Diluuium 344.

Huius anno tricesimo scribunt bellum, cuius hi-  
storia in hoc Capite recensetur, gestum esse. Cum  
iam Abraham excessisset annum uite 80.

Amraphel ) אמרפל dictus ut rueret, à נפל.

Arioch ) אריח longus, procerus, ab ארך.

Rex Ponti ) אלסר Ellasar, id est, rebellis Deo, à

X 4 סרר.

סור. Apparet autem non Ponthum  
thyniam, sed regionem uicinam Babyloniae  
ficari.

Chodorlahomor) כדורלעמור Cedarlahomor, id est  
pila uel globus manipuli, et Job. 15. כדור  
patur pro globo militum.

Elamitarum) Id est, Persarum, ab Elam filio  
עילם adolescens.

Thadal) חדעל Thideal, cognosces altissimam  
על שורע.

### Quinq; Reges.

Basa Regem Sodomorum) Ebraice ברע Basa  
socius uel pastor, à רעה uel malus, maleficus  
רוע.

Bersa Regem Gomorrae) ברשע Birsa, id est  
pius, sceleratus, à רשע.

Sennaar Regem Adamae) שונאב Sineab, odiosus  
pater, à שונא uel dentatus pater.

Semeber Regem Seboim) שמאבר nomen magi  
ficum.

Bala) בלע Bela, id est, absorptio, perditio.  
Nomina quinq; Urbium supra Capite 10. cap.  
sita sunt.

In Vallem Syluestrem) In Ebraeo est, In Valle  
שרים Siddim, id est, agrorum, hoc est, ferti-  
lissimam et amoenissimam. שדה ager.

Percusserunt Raphaim in Astaroth Carnaim) Primum socios & consœderatos quinq; Regum debellant, ut destitutos Sociorum prasidijs facilius opprimant.

Raphaim) רפאים Gygantes, Medici, Saluatores.  
In Astaroth Carnaim) עשתרה קרנים hoc est, greges cornuti. Astaroth nomen Urbis est in regione Galaad.

Zuzim cum eis) זוזים postes columnæ, Atlantes suis humeris sustinentes orbem terrarum, ne intereat. Sunt Epitheta nostrorum Nobilium, der Scharhansen.

Emim) עימיים terribiles, formidabiles.  
In Saba Cariathaim) Id est, planicie duarum ciuitatum in terra Basan trans Iordanem.

Chorreos) חורי princeps, nobilis, candidus.  
In montibus Seir) In Arabia Petrea.  
Pharan) cuius mentio fit Num. 13. 14. Loca aspiciantur in Tabulis.

פארן gloriosus.

Fontem Messphat) Vbi postea Moses aquam de Petra produxit, Num. 20. משפט iudicium.

Cades) קדש id est, Sanctus. Situs Loci in Tabula consideretur.

Regionem Amalechitarum) pars Idumea, sic dicta ab Amalech nepote Esau. Gen. 36.

X 5 עמלק

אמלק *populus lambens.*

Afasonthamar) existimatur esse regio Engaddi-  
cina Sodomis.

חצצון המר HaZaZanthamar, id est, bra-  
zum uel sinus palmae, arboris, à חצץ.

Cecideruntq; ibi, scilicet, in puteos bituminis.

Frateris Eschol) אשכול *brotus.*

Aner) ענף *cura lucernae, ab ענה.*

Persecutus est eos usq; Dan) Vrbs ad fontem leu-  
nis, sita in radicibus Libani.

דן *iudicium.*

Vsq; Hoba, quae est ad leuam Damasci) חובה *id est,*  
debitor.

דמשק *Damesek, id est, sanguinis saccus.*

Melchisedech) מלכיצדק *Rex Iusticiae. Nomen*  
*adpellatiuum, Epitheton Sem filij Nohe, qui ho-*  
*bitauit in urbe Salem, quae postea dicta est Ieru-*  
*salem, & absuit ab Hebron, ubi Abrahae domi-*  
*lium fuit, quinq; milliaribus. Saepè igitur con-*  
*nire illa prima Ecclesiae Lumina, & de maximis*  
*rebus colloqui, & auditores erudire ac compo-*  
*mare potuerunt.*

Salem) שלם *pax. Rex pacis. Ebrae. 7.*

Benedixit ei.) *proprium officium CHRISTI*  
*Sacerdotis.*



Benedictus Abram Deo excelsio.) *Abram benedictus est à DEO. Deus fauet & iuuat Abraham.*

Benedictus Deus excelsus.) *Ago Deo Gratias, quod tibi uictoriam dedit.*

Leuo manum meam ad Dominum.) *Id est, Iuro, Testem inuoco Deum.*

Corrigeam Caligæ.) *Caliga propriè significat ocream, qua tibiæ teguntur. Vnde Caligula Imperator ioco militari nomen accepit.*

## CAPVT DECIMUMQUINTVM.

**V**Nus est in hoc Capite & tota Ecclesie doctrina, præcipuus locus, de Iusticia fidei, quæ splendide & copiose Rom. 4. Paulus enarrat. Ideoq; ab hoc primo dicto, quod extat in Mose de modo iustificationis, suam disputationem orditur, ut ostendat doctrinam de iusticia fidei, quæ tunc uoce Euangelij renouabatur, non recens inuentum esse, sed perpetuum ueræ Ecclesie Dei consensum esse.

Cum autem hic præcipuus doctrine Christiane Articulus sit, ex quo omnium nostrum æterna salus pendet, breuiter summam ueræ sententiæ de iusticia fidei, usitatis questionibus Methodi inclusam recitabo.

Vocabus